Quelle: https://manuscripta.at/?ID=991
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Cerrie. 159

Omnipotens et misericors deus vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude vt mente et corpore pariter expediti quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. P. Ad Ephesios.

Fratres. Renouamini spiritu mentis vestre et induite nouum hominem qui secundum deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes omne mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo quoniam sumus inuicem membra. Irascimini et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur furetur iam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est vt habeat vnde tribuat necessitate patienti.

Gradualiter. Diuiserunt sibi vestimenta mea. Alla. Dextera domini fecit virtutem dextera domini exaltauit me. Matheum.

In illo tempore. Ascendens ihs in nauicula transfretauit et venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns ihs fide illorum dixit paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: hic blasphemat. Et cum vidisset ihs cogitationes eorum dixit eis vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. Quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua an dicere surge et ambula. Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Tunc ait paralytico. Surge tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. Videntes autem turbe timuerunt et glorificauerunt deum qui dedit potestatem talem hominibus. Off.

Flonny. Si ambulauero. Sec. Munera quæsumus domine que oculis tue maiestatis offerimus salutaria nobis esse concede per. Com. Tui maiestatis. Compl. Quæsumus domine medicinalis operacio et a nostris puerilitatibus clementer expediat et tuis faciat semper inherere mandatis. P.

Feria quarta ad thessalonicenses.

Fratres. State et tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram. Ipse autem dominus noster ihs xps et deus pater noster et pacis qui dilexit nos et dedit consolacionem eternam et spem bonam in gratia exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono. De